MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-12

AUTHOR:

NOHL, HERMANN

TITLE:

QUAESTIONES STATIANAE

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1871

Master Negative #

92-80467-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Nohl, Hermann, 1850-
Quaestiones Statianae; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Hermannus Nohl... Berolini, Typis expressit Gustavus Lange, [1871]
48 p. 20 cm.

Thesis, Berlin, 1871.


VOLUME OF PAMPHLETS


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter




Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



QUAESTIONES STATIANAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVIII M. MARTII A. MDCCCLXXI.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS NOHL
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HENRICUS CHRISTENSEN, STUD. PHIL.
MARTINUS SCHEINS, STUD. PHIL.
OTTO SEECK, STUD. HIST.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (OTTO LANGE).

PATRI · CARISSIMO

SACRUM.

I.

De P. Papinii Statii uitae et carminum temporibus nimis scire uoluit Dodwellus,[1]) quicquam sciri posse desperauit Grossius,[2]) singula adtulerunt Handius[3]) Friedlaender[4]) Imhofius[5]) Stobbius[6]), ego quae inuenisse mihi uisus sum, iam proponam.

Atque cum omnia fere quae de Statio scimus ex uno fluant fonte, scilicet ex ipsius carminibus, hinc initium disputationis sumendum erit, et primum sibi uindicant locum siluae, quippe quae plurimas temporis notas contineant et plurima de poetae uita doceant.

Aliis temporibus hos libellos, quibus coniunctis siluarum nomen poeta indidit, esse scriptos et in eorum ad quos spectabant manus traditos, aliis in publicum editos ipsorum natura aperte ostendit. Iam cum Statius singulos in unum uolumen congregaret, non certum aliquem ordinem secutus est, nisi quod carmina quae aut ei scripta erant, cui librum dedicabat, aut quae imperatorem celebrabant, in initio collocaret; non igitur carmina quae priora leguntur, hanc ob causam prius scripta esse putanda sunt, sed apparet uel fieri potuisse, ut antiquiora libro recentiori insererentur. Singulos libros seor-

---

[1]) Annales Velleiani Quintilianei Statiani, Oxonii 1698.

[2]) Obseruatorum in Statii siluis specimen, Berolini 1861.

[3]) in editione Statii vol. I.

[4]) de temporibus librorum Martialis Domitiano imperante editorum et siluarum Statii Regiomont. 1862.

[5]) ecloga ad uxorem emend. et adnot. Halis 1863.

[6]) Philologus XXVI 1867.

sim esse editos cum eo probatur, quod cuique praefixa est epistula dedicatoria, tum quarti libri praefatione, in qua poeta ad iudicia hominum respicit, qui reprehenderant, quod talia edidisset. Quod tam manifestum est, ut Marklandi errorem, qui ad praef. libri V. hunc librum quasi secundae ἐκδόσεως quattuor prioribus, qui una in publicum prodierint, opponit praeterire liceat.

Itaque distinguendum est, quo tempore singulae scriptae sint eclogae et quo editi sint libri. Friedlaender in definiendis temporibus hanc iniit rationem ut, cum Statium et Martialem eadem argumenta nonnunquam tractare uideret, libros utriusque poetae, in quibus carmina eiusdem argumenti inueniantur, eodem tempore esse editos contenderet. Atque certe quidem Martialis libri plura offerunt temporis indicia (quae pleraque recte perspexisse Friedlaenderum puto), sed magis ad constituenda tempora quibus singula carmina Statius scripserit quam quibus libros ediderit ualere mihi uidentur. Iam si certiora quaerimus, duas inuenimus temporum notas quibus quasi terminis includitur primi et ultimi libri editio. Altera in eo posita est, quod nullum carmen ante Domitiani mortem confectum esse non potest, immo epistula ad Abascantum primae quinti libri eclogae praefixa plena est adulationum in Domitianum; altera Friedlaendero non erat nota neque profecto mihi innotuisset, nisi Mommsenus praeceptor dilectissimus cum de Rutilio Gallico agerem mihi ut animum aduerterem ad inscriptionem quam exhibet Gruterus p. CCC auctor fuisset. Quae inscriptio, fragmentum fastorum quorundam sacerdotalium, non satis constat cuius collegii, non solum Rutilium Gallicum cui scripsit Statius quartam primi libri eclogam anno 68 sacerdotem esse factum, sed etiam quo anno mortuus sit, docet. Quod ut melius perspiciatur priorem lapidis partem huc perscribam.

DEC . XXVII
. DLECTUS . AD . NVMERVM . EX . S . C
. . . . CAES . AVG
GERMANICVS
CLAVDIO . CAESARE . AVG . GERMAN . V
. . R . CORNELIO . ORFITO . COS
P . R . C . ANN . DCCCIIII
. . RVTILIVS . G . . . ICVS . COOPTATVS
. . ALERIO . THRACHALO . LI . CATIO . SILIO . ITAL . COS
P . R . C . ANNO DCCCXXI
TETTIENVS . SERENVS
COOPT
IMP . CAES . . . . . AVG . GER . XVI . COS
Q . VOLVSIVS . SATVRNINVS
P . R . C . AN . DCCCXLIIII

Decurias in sacerdotum collegiis singula loca dici, eos igitur qui uni eidemque decuriae sunt adscripti, se inuicem secutos esse, constat. Illa decuria XXVII quae in hoc lapide occurrit noua instituta est anno a. u. 804, cum Nero uirilem togam sumeret et in quattuor maiora sacerdotum collegia cooptaretur.[7]) Post Neronis mortem ipso anno 69 in eius locum cooptatur Rutilius Gallicus, hunc a. 92 Tettienus Serenus sequitur, illo igitur anno aut sub finem praecedentis anni Gallicum mortuum esse oportet, non longum enim interuallum inter mortem et nouam cooptationem intercedere solebat. Primus autem siluarum liber post mortem demum Gallici editus est, dicit enim Statius in epistula ad Stellam quam huic libro praemisit: 'sequitur libellus Rutilio Gallico conualescenti dedicatum, de quo nihil dico ne uidear d e f u n c t i t e s t i s occasione mentiri.' Breuibus igitur interuallis quinque libri inuicem se excepe-

[7]) Tac. ann. XII 41 cum adnotatione Nipperdei.

runt, cum primus non ante annum 92, quintus non post XVII octobr. a. 96 editus sit.

Hoc constituto ad singula carmina examinanda transeo. Atque qua equus maximus Domitiani celebratur ecloga omnium primi libri nouissima esse mihi uidetur. Ueri enim est simile Statium tanto honore quod ipse imperator carmen tradi sibi iusserat incitatum esse, ut et illud et alia quaedam antea scripta publici iuris faceret. Neque quicquam obstat, quo minus hanc eclogam anno 91 exeunte aut initio a. 92 scriptam esse putemus, sed affirmare hoc tantum licet, statuam dedicatam esse post pacem cum Dacis factam et ante bellum Sarmaticum. Compositum enim fuisse bellum cum Dacis gestum apparet e uersu 27

qui nec in externos facilis saeuire furores
das Cattis Dacisque fidem

bellum Sarmaticum nondum incepisse e uersibus 79 sq. quibus poeta omnia enumerat bella, quae Domitianus usque ad id temporis gesserat: tu bella Iouis, tu proelia Rheni

tu ciuile nefas, tu tardum in foedera montem
longo Marte domas.

Friedlaender contra sibi persuasit, in extrema parte a. 90 ponendum esse hoc carmen, atque his quidem ex causis: scatere laudibus uictoriae Dacicae adeo ut de tempore, quo scriptum sit, dubitari nequeat, statim post triumphum Dacicum hanc statuam erectam esse; deinde poetam u. 97 sq. Iuliam T. f non praeteriturum fuisse, si tunc iam mortua et inter diuos relata fuisset, quod a. 90 factum esse e nummo apud Eckhelium VI 366 constet. Quod extremo loco dicit, certum non esse patet, potuit sane poeta etiam Juliam a Domitiano ualde amatam e coelo descendentem et statuae imperatoris oscula figentem fingere, non debuit; nominauit patrem fratrem filium, qui omnes artissimo cognationis uinculo cum Domitiano coniuncti erant. Neque si reuera uiua Iulia hoc carmen scripserit, necesse est, ut ante finem anni 90 scriptum sit, quo errore ea quoque quae de tempore sexti libri Martialis dicit Friedlaender laborant. Nummi enim ad quos prouocat hanc habent inscriptionem:

DIVAE . IVLIAE . AVG . DIVI . TITI . F . S . P . Q . R
IMP . CAES . DOMIT . AVG . GERM . COS . XV . CENS .
PER . P . P .

Carent mentione tribuniciae potestatis, certo igitur ex annis 90 et 91, quibus imperator COS . XV erat, adfigi nequeunt. Sed cum in aliis nummis, qui ceterum plane eandem inscriptionem habent, Domitianus COS . XVI dicatur, uerisimile est, non a. 90 sed 91 Iuliam mortuam esse. Quod deinde dicit scatere carmen laudibus uictoriae Dacicae ita ut statim post triumphum scriptum esse pateat, minime comprobare possum. Apparet in carmine, quo Domitianus celebratur, plus de rebus ab eo gestis dicendum esse quam in epithalamio quodam aut in consolatione, sed ne illud quidem dici potest, in hoc carmine praeualere Dacicae uictoriae laudes, semper coniunctam inuenies Dacici belli memoriam et Germanici:

u. 7. qualem modo frena tenentem
Rhenus et attoniti uidit domus ardua Daci

u. 28. das Cattis Dacisque fidem et. u. 79.

immo u. 51 solius Germanici belli mentio fit, Rhenus enim est, non Hister quem pedibus calcat Domitiani equus.[8]) Denique uix credibile est, statim post triumphum — immo eius

[8]) Hinc posset aliquis suspicari, ad Germanicas Domitiani uictorias celebrandas senatum populumque Romanum hanc statuam faciendam curasse, eamque post finem demum Dacici belli perfectam esse, sed constat, semper Domitianum Germanica maxime expeditione gloriatum esse, ut praecipue demonstrant nummi de quibus loquitur Eckhelius VI 380. Nihil igitur certi hinc colligas.

solemnium partem fecisse dedicationem equestris statuae Stobbius putat — Statium hoc carmen scripsisse, in quo ne uerbo quidem triumphus commemoratur.

Permirum est, Martialem neque dedicationem huius statuae celebrasse, neque ullum eius extare carmen, in quo ipsam commemorari pro certo adfirmari possit. Friedlaender quidem duo carmina ab interpretibus non intellecta inuenisse sibi uisus est:

VIII 44, 6 foroque triplici sparsus ante equos omnes
aedemque Martis et colosson Augusti

et VIII 60 summa Palatini poteras aequare colossi,
si fieres breuior, Claudia, sesquipedem.

Priore loco fieri posse concedo ut de Domitiani equo cogitemus, altero nego. Nam quod Friedlaender dicit, Palatinum non ideo dictum esse colossum, quod prope a Palatio positus esset, sed eo sensu quo Domitianum Palatinum tonantem appellet IX 39, 1. 86, 7, non intellego. Palatinum tonantem imperatorem Martialis dicit, quia duo Ioues esse fingit, alterum coelum obtinentem alterum Palatium. Quare si eo sensu dictum est Palatinus colossus, quo Palatinus tonans, quod nemo negabit, colossus quidam significatur, qui in Palatino monte erat. Iam comparandum est carmen 70 libri I, ubi de equo Domitiani propter temporum et locorum diuersitatem cogitare non licet, et apparebit, reuera prope Palatium ingentem statuam imperatoris fuisse:

u. 5. inde sacro ueneranda petes Palatia cliuo
plurima qua summi fulget imago ducis
nec te distineat miri radiata colossi
quae Rhodium moles uincere gaudet opus.

Sed ad secundum carmen transeo. Ea quae poeta u. 174—181 de Dacis exuuiis laurisque recentibus dicit ad finem belli Dacici referenda esse docemur Martialis epigrammate

XXI libri VI, quo ille Stellae et Violentillae nuptum celebrat. Hunc enim librum post triumphum de Dacis actum publicatum esse constat. Triumphauit autem Domitianus de Dacis secundum Eusebium unicum testem a. 2106 (i. e. octob. 90—91). Iam cum Stella nondum magistratum illum, in quo uictoriam celebraturus erat, iniisset, cum Violentillam in matrimonium duceret, necesse est, ut hoc carmen anno 90 exeunte scriptum, triumphus a. 91 actus sit, ut recte Stobbius obseruauit.[9])

In carmine quarto, quod Statius Rutilio Gallico dedicauit, saepius commemorantur ludi saeculares, quos Domitianus sub fine anni 88 celebrauit, neque multo post scriptum esse indicare mihi uidentur uersus 17 sq.

nec tantum induerint fatis noua saecula crimen,
aut instaurati peccauerit ara Tarenti

nec non uers. 96. neque enim frustra mihi nuper honora
carmina patricio pueri sonuistis in ostro.

Quare quae u. 90 sq. leguntur de rebus a Gallico in Dacia ipso imperatore duce gestis non ad secundam Domitiani contra Dacos expeditionem a. 89[10]), sed ad eam, quam Oppio Sabino interfecto suscepit, referenda sunt, ad eandem de qua Statius III 3, 117 dicit:

cum prima truces amentia Dacos
impulit et magno gens est damnata triumpho.

De reliquis primi libri eclogis nihil constat, nam quod in balneum Claudii Etrusci a Statio carmine quinto descriptum Martialis est epigramma XLII libri VI hoc tantum ostendit, circa idem tempus scriptum esse, quo epithalamium Stellae et Violentillae, non enim ueri est simile, alterum poetam longo interuallo post alterum hoc communis amici aedificium uidisse et laudasse. Sed inde docemur, ne tum quidem (a. 90/91)

---

[9]) l. l. p. 56.

[10]) Henzen relazione p. 49. bulletino archeol. 1869 p. 112.

poetam Thebaidem suam prorsus de manu emisisse, dicit enim uersu 8:

paulum arma nocentia, Thebae,
ponite, dilecto uolo lasciuire sodali.

Alterius libri carmina nullas continent temporum notas, nam quam in secundo inuenisse sibi uisus est Imhofius ualde dubiam esse existimo. Dicit hoc carmen ante Vesuuii conflagrationem compositum esse probari ex eo quod Pollii uilla Surrentina dicta sit cultu aequalis Tirynthiae aulae h. e. Herculaneo incolumi etiamtum u. 109

nec te cultu Tirynthia uincat
aula Dicarcheique sinus, nec saepius istis
blanda Therapnaei placeant uineta Galesi.

Mihi haec uerba haud ita plana uidentur. Quo modo enim Tirynthia aula urbem aliquam aut regionem significaret? dicendum erat Tirynthia tecta, ut apud Silium I 661 (de Sagunto), aut similia. Tirynthia uero aula nisi de templo quodam Herculis dici non posse puto; quare hoc loco, ubi amoenae regiones enumerantur, de celeberrimo Herculis Tiburtini templo si cogitaremus fortasse in leuitatis crimen non incideremus.[11]) Sed Statius de regione aut de uilla, non de templo loqui debuit, nec Tibur Tirynthia aula dici potuit sed potius Tirynthii colles ut dixit Martialis Herculeos colles IV 57 VII 13. Praeterea ne Tibur significari existimemus impedire uidetur, quod tam arte coniunguntur Tirynthia aula et Dicarchei sinus. Mihi persuasum est Statium scripsisse Tirynthia arua Dicarcheique sinus, pro qua coniectura quodam modo facit Rhedigeranus in quo legitur uincant.

Sed quaenam poeta dicat Tirynthia arua, incertum relinquam, optime cogitemus de Baiis 'qua iacet Herculeis semita

11) cf. Stat. silu. III 1, 182 Tiburna domus; I 3. 79 templa Tirynthia.

litoribus' Prop. I 11, 2. Eodem modo Puteoli et Baiae coniunctae sunt a Statio silu. V 3, 169

quosque Dicarchei portus Baianaque mittunt litora.

Aliam deinde causam Imhofius adfert, qua hoc carmen ante patris Statii mortem compositam esse demonstret, uersus sexti uerba: 'laetum post patrii quinquennia lustri' significare Statium uictorem in ludis eo anno Neapoli celebratis fuisse. Et uidetur sane semel tantum idque patre uiuo in his ludis uictoriam reportasse[12]) sed neque hoc certum est, neque illud 'laetum' necessario de uictoria intellegendum est. Contra si tria carmina quae Statius in Pollii eiusque generi honorem fecit II 2, III 1, IV 8 perlegimus, adparet, ea non multum tempore distare. Nam in primo iam Pollius a rebus publicis tractandis in otium secessit (II 2, 133 sq.), Polla uxor non florens aetate, sed quamquam anus iuuenili praedita gratia depingitur (II 2, 10, 147) — in altero caetera similia sunt, (III 1, u. 66, 87, 159 sq.) accedit mentio duorum nepotum (u. 175 sq.) Tertium denique carmen scriptum est in tertii nepotis diem natalem neque dubitari potest, quin eiusdem Iulii Menecratis liberi sint, qui III 1 commemorantur, si conferimus IV 8, 25 sq. et III 1, 176. Iam cum alterum carmen (III 1) non ita multum ante quam ederetur ortum esse praefatione tertii libri (praecipue u. 8—11) comprobetur, plane a ueri similitudine abhorret, primum (II 2) quindecim fere annis ante (ante a. 79) conscriptum esse.

Friedlaender de tempore septimi huius libri carminis aliquid colligi posse putauit inde quod hoc carmen respondet Martialis epigr. 21—23 libri VII. Mirum autem in modum in iis quae exposuit sibi ipse contradicit. Nam ubi de septimo Martialis libro loquitur (p. 10 l. l.), omnia carmina hieme anni

12) Stat. silu. V 3, 225 III 5.

93 scripta esse uideri contendit, et inde effici, Lucani quoque diem natalem (qui carminibus 21–23 celebratur) in hiemem incidisse. Deinde p. 14 ubi eodem ordine Martialis et Statii carmina, quae eadem argumenta tractent, se excipere demonstrare studet, etiam haec utriusque poetae carmina adfert, hieme igitur anni 93 Statii c. II 7 scriptum esse putauit. Et tamen p. 16 secundum Statii librum paulo post Ianuarium mensem anni 91 editum esse statuit. Tota haec argumentatio uitiosa est. Primum iam Tillemontius in nota XI ad Domitiani uitam uidit, non in annum 93 sed in a. 92 Domitiani in Sarmatas expeditionem incidisse. Tacitus enim in Agricolae uita c. 42. 43 docet, imperatorem mense Augusto a. 93 non in Sarmatia, sed prope urbem fuisse. Et Stobbius recte alia quoque argumenta protulit, quibus Friedlaenderi (i. e. Clintonis) temporis huius belli computatio refutatur. Ceterum ex eo quod nullum carmen inuenitur, quod hieme scriptum esse non possit, nullo modo efficitur, ut necessario omnia hieme scripta sint; ne id quidem certum est, ad unum eundemque diem natalem celebrandum utrumque poetam Pollae haec carmina dedicasse, etsi mihi quoque hoc probabile uidetur.

Ut de singulis carminibus ita etiam de editione secundi libri nihil constat, nam quod Friedlaender adfert p. 16: 'secundus liber primum breuissimo interuallo secutus esse debet, quoniam Statius carmen de morte Glauciae quod Martialis in VI inseruit, huic libro reseruare potuit', ualet quidem ad tempus indagandum quo Glaucias mortuus et Statius herum eius consolatus sit[13]), non uero quo hunc librum ediderit, praesertim cum sciamus iam primum librum non ante a. 92 esse editum.

---

[13]) ante annum 91, quo sextus Martialis liber editus est.

Libri tertii carmen tertium post expeditionem a Domitiano contra Marcomannos et Sarmatas susceptam, aut, ut accuratius dicam, post mensem Ianuarium, quo Domitianus in urbem reuertit et lauream Ioui Capitolino retulit, (anni 94, debuit, ut supra uidimus, 93) scriptum esse Friedlaender statuit, huc enim spectare uersus 167 sq.

haec est, quae uictis parcentia foedera Cattis,
quaeque suum Dacis donat clementia montem,
quae modo Marcomannos post horrida bella uagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.

Stobbius autem ualde contra hanc sententiam pugnat. Dicit, cum haec ecloga eodem tempore sit scripta, quo Martialis epigramma VII 29, Martialis lib. VII autem editus sit antequam bellum Sarmaticum anni 92/93 finitum esset, non de hoc bello sed de anteriore quodam cum Marcomannis et Sarmatis gesto cogitandum esse. Iam cum Xiphilinus 67, 7 narret, Domitianum a Marcomannis uictum et fugatum Dacorum regi Decebalo pacem aequis condicionibus concessisse, hoc bellum Statii uersibus significari putat. Eodem modo Imhofius, qui nullum bellum Sarmaticum post a. 91 agnoscit, haec interpretari debet. Difficultatem aliquam subesse recte perspexit Stobbius, sed minus bene hanc difficultatem ipsum soluisse existimo. Statii enim uerba, quae supra adscripsi, aperte docent, non de illa Domitiani contra Marcomannos expeditione cogitari posse, quae in annum 90, intra Iuliani uictorias et pacem cum Dacis factam incidit, priore enim loco Statius hanc pacem commemorat (quaeque suum Dacis donat clementia montem) et deinde pergit, 'quae modo Marcomannos' sq. Id quod est modo satis indicat, de tempore recentiore Statium loqui. Neque quod dicit hos populos Domitianum Latio non esse dignatum triumpho sine ui quadam dictum est. Constat enim, post bellum Sarmaticum Domitianum triumphum recusasse et

satis habuisse ut Ioui Capitolino lauream referret, et hanc simulatam modestiam poetas ualde laudare[14]). Retinendum igitur est, Statium his uersibus significare bellum Sarmaticum anno 92 gestum, praesertim cum cladem illam Domitiano a Marcomannis inlatam ne Martialis quidem unquam tamquam uictoriam celebrauerit. Iam Stobbius contendit, hoc eam ob causam fieri non posse, quod Claudius Etruscus mortuus esset ante quam hoc bellum conficeretur. Quod uereor ut demonstrare possit, quando enim ille mortuus sit, plane nescimus, hoc tantum constat, septimum Martialis librum in quo eius epitaphium legitur, editum esse mense Decembri anni 92, cum Domitiani reditus cotidie expectaretur, certe igitur bellum finitum esset. Sed illud difficultatem aliquam parare posset, quod Martialis in libro septimo nescire uidetur, imperatorem non triumphaturum esse[15]). Sumendum igitur est Claudium Etruscum diem supremum obiisse anno 92 exeunte, et Statium consolationem ad filium non statim post patris mortem, ut Martialis epitaphium VIII 40, sed paullo post scripsisse, cum Domitianus iam urbem intrasset et triumphum recusasset. Neque sane credibile est, ipso funeris tempore, quo carmen scripsisse se fingit, Statium lugenti Etrusco dedisse. Sed si quis ita rem explicari posse neget, unum illud reliquum sit, ut dicat, poetam cum carmen in publicum ederet hoc loco duo uersus (170. 171) ad imperatoris laudem pertinentes inseruisse. Utrum sit uerum equidem diiudicare non ausim.

In reliquis huius libri carminibus certa temporis indicia non inueni, nisi quod unum carmen ei insertum esse patet, quod scriptum erat iam ante quam siluarum editionem poeta insti-

14) cf. Suet. Do. 6 Martial. VIII 15, 5 secretos triumphos Stat. IV 1, 39 tantum permitte triumphos.

15) cf. VIII 2, 7; 6. 7; 8, 10.

tueret, secundum dico, in quo de Thebaide nondum finita loquitur u. 35

si uestras amor est mihi pandere Thebas
nec cano degeneri Phoebeum Amphiona plectro

et u. 142 ubi redeunti amico se narraturum esse pollicetur, quid egerit annis, quibus ille in Syria militauerit:

ast ego deuictis dederim quae busta Pelasgis
quaeque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

In prooemio autem primi libri Siluarum iam haec scripserat: adhuc pro Thebaide mea quamuis me reliquerit timeo. Tamen ipsi quos adscripsi uersus probant, non multo ante absolutum opus Statium hoc propempticum cecinisse.

Mirum in modum errauit Friedlaender in iis quae de quarto carmine dixit, quod quidem quantum ad Statium nihil nocuit, sed causa fuit ut nonum Martialis librum perperam anno 95 tribueret. Cum enim hoc carmen Earino dedicatum respondere dixisset Martialis ep. 11—13 16 [—18] 36 lib. VIII (debuit IX), inde concludit, ante annum 95 et Statii libros tres priores et Martialis octo primos editos esse. Et ita cum p. 12 tum in conspectu p. 16 octauum librum Martialis anno 94, nonum anno 95 tribuit. Sed nonum librum post XVII consulatum Domitiani, qui nunquam in eo commemoratur publicatum esse plane incredibile est, apparet igitur, eum anno 94 adsignandum esse, anno 95 autem priorem decimi libri editionem prodiisse, continentem illam haud dubie carmina in huius consulatus laudem, quae omissa sunt, cum Nerua imperante denuo liber ederetur.

Illud autem recte perspexisse Friedlaenderum existimo, editum esse tertium siluarum librum ante annum 95. Imhofius quidem aliter sentire uidetur, cum eclogam ad uxorem anno 95 compositam esse dicat[16]). Sed mihi nunquam persuadebit

16) l. l. (not. 5) p. 21.

poetam primam quarti libri eclogam, qua septimum decimum consulatum imperatoris celebrat, non tertio libro inserturum fuisse, si hunc postea edidisset, quam carmen scripserat. Nam in tali carmine sane maior erat gratia celeritatis, quam in aliis. Mihi tertii libri nouissima uidetur ea ecloga, quae ultimo loco posita est, ad uxorem scripta. Etenim uix dubitari potest, quin poeta eam composuerit, cum librum ederet, minus ut uxori persuaderet, quam ut cum Pollio amico consilium in patriam secedendi communicaret[17]). Neque eam ob causam amoenitatem illius Campaniae regionis tam adcurate eum descripsisse puto, ut uxori, quippe quae eam nunquam uidisset, (ita Imhofius l. l. p. 16) amorem eius iniceret, sed ut patriam suam laudibus extolleret.

Quarti libri carmen primum ortum esse mense Ianuario anni 95 per se patet. minus de altero constat, quod Dodwellus eidem anno adsignat, Grossius et Imhofius tempori multo priori, quia poeta dicere non potuisset u. 62

saepe coronatis iteres quinquennia lustris

si ante quam hoc carmen scriberet, iam in his quinquenniis uictus esset. Quod nihili est. Nam quod Florus poeta, ad quem nos reuocat Imhofius, Romam reliquit aegre ferens, quod magni Iouis corona sibi non obtigisset, prorsus nihil facit ad Statium. Sane hic quoque se uictum esse non dolere non potuit, nullum tamen extat uestigium, eum clade sua tantopere offensum fuisse, ut quae illo uersu optantur blande optare non potuisset, praesertim cum quanti Domitianus hos agones aestimauerit constet.[18]) Equidem ut Dodwelli potius partes sequar id praecipue facit, quod talia carmina non scribebantur, ut in scriniis absconderentur, sed imperatori dedita quam primum

---

17) cf. epistulam ad Pollium (in fine).
18) Suet. Do. 4.

in publicum proderentur. Et si reuera poeta animi fuisset tam pusilli, ut post cladem suam illum uersum 'saepe coronatis iteres quinquennia lustris' non scripturus fuisset, ego profecto putarem, eum ne editurum quidem fuisse post cladem hoc carmen antea conscriptum, aut certe omissurum fuisse hunc uersum.

Viam Domitianam Sinuessa Puteolos ducentem, in cuius honorem tertium huius libri carmen Statius composuit anno 95 dedicatam esse testatur Dio LXVII 13.

Quod quarto loco legitur carmen, omnium huius libri recentissimum esse haec praefationis uerba probant, quibus Statius amicum Victorium adloquitur: 'cuius (uiae Domitianae) beneficio tu quoque maturius epistulam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli mitto.' Scripta est haec epistula aestate (cf. u. 12—20, 39—43) anni 95 cum uia Domitiana modo finita esset, aliter enim ineptum erat de beneficio loqui quod haec uia etiam Marcello adferat.

Ultimum carmen iis ut uidetur saturnaliis scriptum est, quae editionem libri quarti praecedebant (anni igitur 94), nam quo de prioribus minus cogitemus impediunt praefationis uerba 'interim hendecasyllabos, quos saturnalibus una risimus, huic uolumini inserui.'

Quae praeterea in hoc libro leguntur carmina quo anno scripta sint non indicant, illud tantum manifestum est quintum uere esse scriptum (u. 5—12) septimum non multo ante editionem libri (cf. praef. u. 19 sed nunc quoque eum reuerti maturius e Dalmatia rogo). Ad definiendum tempus, quo Statius Vindicis Herculem epitrapezium celebrauerit, non multum ualere puto quod Martialis de eadem statua sunt epigrammata 43. 44 libri IX, fieri enim potuit, ut alter complures menses ante alterum hoc opus adspiceret et uersibus laudaret.

Quinti libri carmina primum et secundum Domitiano etiamtum imperante scripta esse adparet, neque est cur dubitemus, quin post quarti libri editionem ea orta sint, certe 2, 160—163 de recitationibus Achilleidis loquitur poeta, cuius primam fecerat mentionem IV 7, 2. Idem de quinto adfirmare licet, cum in hoc quoque 'nouus Acacides' (u. 36) commemoretur. De tertio carmine minus constat. Ipse enim Statius u. 29 sq. satis ostendit aut certe fingit, se hoc epicedium composuisse tribus mensibus post patris mortem, inuocato enim patre, ut sibi in canendo dolore adsit, dicit:

nam me ter relegens coelo terque ora retexens
luna uidet residem nullaque Heliconide tristis
solantem curas, tuus ut mihi uultibus ignis
inrubuit — uix haec in munera soluo
primum animum.

Sed uersus 225—33 multo post patris mortem scripti sint oportet. Ibi enim poeta de uictoriis loquitur quas ipse in musicis certaminibus reportauerat, atque cum summo gaudio patrem adfectum fuisse dixisset eo quod filium Neapoli uincentem spectasset, dolet, quod non posteriorum quoque uictoriarum testis ille fuisset:

hei mihi, quod tantum patrias ego uertice frondes,
solaque Chalcidicae Cerealia dona coronae
te sub teste tuli, qualem te Dardanus Albae
uix cepisset ager, si per me serta tulisses
Caesarea donata manu; quod subdere robur
illa dies, quantum potuit dempsisse senectae!

Patrias frondes eas dicit coronas quae in ludis quinquennalibus Neapoli celebratis praemia dabantur, serta Caesarea donata manu nulla alia esse possunt, quam quae in quinquatruis Mineruae a Domitiano in Albano institutis reportabantur (cf. III 5, 31.) Iam uero poetae uerba aperte demonstrant, patrem, cum ipse in Albano uinceret, non iam inter uiuos fuisse. Deinde Statius in agone Capitolino se uictum esse deplorat:

heu quod me mixta quercus non pressit oliua[19])

Iam cum hi ludi anno 86 ab imperatore instituti sint,[20]) non ante hunc annum hos uersus scribi potuisse manifestum est. Statius pater autem mortuus est non multo post a. 79 quod pro certo colligitur ex uers. 205 sq. huius eclogae

iamque et flere pio Vesuuina incendia cantu
mens erat et gemitum patriis impendere damnis

hoc enim propositum sine dubio peregisset, si uita suppeditasset.[21]) Duplici igitur modo de hac re iudicari potest. Aut statuendum est, poetam hanc eclogam posteriore tempore scripsisse, multis post patris mortem annis, ut cum patre se ipsum celebraret et laudaret, aut reuera tribus post patris obitum mensibus hoc epicedium ortum, postea his uersibus auctum esse. Quod mihi magis probabile uidetur, cum ipse Statius quodam modo indicauerit in carmine tertio tertii libri (u. 39 sq.)

neque enim mihi flere parentem
ignotum, similis gemui proiectus ad ignis;
ille mihi tua damna dies compescere cantu
suadet, et ipse tuli quos nunc tibi confero questus.

Atque hanc fere Imhofii quoque sententiam esse uideo[22]) quamquam huic uiro docto illud non concesserim, Statium hoc carmen postea retractasse, tum enim profecto ualde mirandum esset, quod uestigia non deleuisset, quibus unus quisque sta-

19) haec enim sufficiunt, neque ad rem faciunt uersus corrupti qui sequuntur, ut Grossius putauit l. l. p. 7.
20) Censorinus d. d. n. c. 18.
21) cf. Imhofium l. l. p. 16.
22) l. l. p. 17.

tim deprehendat oportet, non uno tenore carmen ut nunc legitur scriptum esse. Mihi e contrario haec carminis condicio firmius argumentum accedere uidetur ad alia ea, quibus Marklandus quintum librum non ab ipso poeta editum esse comprobare studuit. Quamquam duo quae ille protulit: in editione Veneta incipientis quinti libri mentionem omissam esse, et carmen ultimum imperfectum esse — nihil ualent. Nam in codice Rhedigerano cuius maior est auctoritas, cum in fine quarti libri legitur: explicit liber quartus siluarum incipit quintus, tum in fine quinti: P. Papinii Statii silu(a)rum liber quintus et ultimus feliciter explicit. Truncatum autem esse ultimum carmen temporis iniuria[23]) neque a Statio ita ut habemus relictum, ipse nisi fallor Marklandus postea agnouit, cum extremo eius uersui adscriberet 'desunt cetera'. Maiorem uim tertio Marklandi argumento tribuo, epistulam ad Abascantum unius tantum eclogae praefationem esse, non totius libri. Ipse quidem Marklandus hoc argumentum eo debilitauit, quod in fine huius epistulae addidit uerba 'reliqua desunt', quod nullo modo facere debebat. Nam cum corrupta esse ultima uerba recte demonstrasset, aut dicendum erat, deesse uideri nonnulla, quae si extarent uitium tollerent, aut coniectura tentanda erant ista uerba (et hoc fecit Marklandus) et tum nulla erat causa cur excidisse aliquid crederetur. Hanc epistulam enim cum uno tantum carmine eo quod statim sequitur ad Abascantum esse missam ipsa satis docet.

Iam uero cum Statius, ut postea demonstrabo, in praefationibus praecipue id ageret, ut ad quem et de qua re quodque carmen esset scriptum indicaret, apparet eum hoc non praetermissurum fuisse si quintum librum ipse in publicum prodidisset. Sed qui Statio mortuo editoris munere functus est,

[23]) cf. infra p. 42.

facile potuit satis se fecisse existimare si, ut in tertio carmine uersus, quos in schedis adscriptos inueniebat, carmini inseruit, ita hanc epistulam cum carmine ad quod pertinebat, priore loco conlocaret.

Haec de siluarum temporibus, iam non difficile est reliquorum Statii operum tempora constituere. Sed priusquam ad haec transeam placet ea quae inuenimus in uno conspectu componere.

Siluar. I	1	scriptum	a. 91 exeunte aut init. 92	
	2	„	a. 90 exeunte	ed. non ante a. 92
	4	„	a. 88/89	
	5	„	a. 90/91	
II	1	„	a. 90/91	ed. anno incerto
	7	„	a. 92?	
III	3	„	a. 93 initio	ed. ante a. 95 (a. 94?)
	4	„	a. 93/94	
	5	„	a. 94	
IV	1	„	a. 95 mense ianuario	
	2, 3, 7	„	a. 95	ed. aestate a. 95
	4	„	a. 95 aestate	
	9	„	a. 94 saturnaliis	
V	1, 2	„	a. 95/96	ed. ante XVII octob. 96
	3	„	a. 79/80	
	5	„	a. 95/96	

Thebais paullo ante publicata erat, quam primus siluarum liber prodiit[24]) i. e. ut uidimus ante a. 92. Quod congruit cum iis quae ex initio Thebaidis discimus. Versus enim I, 17 sq.

[24]) cf. praefat. libri I u. 6 sq.

quando Itala nondum
signa nec Arctoos ausim spirare triumphos
bisque iugo Rhenum, bis adactum legibus Histrum
et coniurato deiectos uertice Dacos

scriptos esse apparet ante bellum Sarmaticum anni 92/93, postea sane non bis, sed ter adactum esse legibus Histrum gloriatus est Domitianus cf. Martialis IX c. 101, 17

cornua Sarmatici ter perfida contudit Histri.

Iam uero cum poeta huic operi duodecim annorum laborem impenderit (XII 811), anno fere 79 coeptum est patre Statio etiamtum uiuo et filii conatus adiuuante (Silu. V 3, 233).

Achilleidis autem primua mentio fit Silu. IV 7, 23

primis mens ecce metis
haeret Achilles

deinde in epistula ad Marcellum IV 4, 94 anno 95 scripta.

Alius Statii carminis memoriam seruauit Iuuenalis VII 82—87: 'sed cum fregit subsellia uersu (Thebaidis recitationibus) esurit, intactam Paridi nisi uendit Agauen'. Hanc Agauen fabulam mimicam fuisse eo docemur, quod Paridi histrioni erat scripta, unde simul efficitur, inter initia principatus Domitiani eam ortam esse, illis enim temporibus Paris propter consuetudinem cum Domitia imperatoris uxore necatus est[25]).

Pauca admodum sunt, quae de uita Statii scimus, et ea pleraque iam ab Imhofio[26]) recte perspecta. Oriundus erat ex familia equestri quidem, sed ad paupertatem redacta, ita ut Statii poetae pater, cum censum equestrem iam non possiderent parentes, coactus esset, insignia equestria deponere[27]). De nominibus poetae iis quae Handius in praefat. p. XVI sq.

25) cf. Suet. Do. c. 3, Dio 67, 3.
26) l. l. p. 15—17.
27) silu. V 3, 115 sq. quae uerba interpretes non satis intellexisse mihi uidentur.

exposuit nihil addere possum, nisi forte etiam in codice Rhedigerano legi P. Papinii Statii siluar. etc. — De aetate sua ipse in Siluis saepius loquitur et ita quidem ut senescentem se describat:

III 5, 12 anne quod Euboicos fessus remeare penates
augurer et patria senium componere terra
u. 22 quam mihi sorte Venus iunctam florentibus annis
seruet et in senium
IV 4, 70 nos facta aliena canendo
uergimur in senium
V 2, 159 nos fortior aetas iam fugit.

Iam cum his accedat quod pater eius circa a. 80 quinque fere et sexaginta annos natus (V 3, 253) mortuus est, contendere licet intra annos 40 et 50 p. Chr. n. Statium natum esse.

Patria eius fuit Neapolis (III 5, 106 alibi) in quam urbem pater Velia oriundus sedem transtulerat (V 3, 126). Patre etiamtum uiuo laude florebat poetica cum Neapoli tum Romae. Atque in patria quidem semel ut uidetur coronatus est in agone musico, (V 3, 226) in quinquenniis, quae anno p. Chr. 2 in honorem Augusti instituta erant;[28]) nam ludos Augustales poetam significare cum dicat 'Capitolinis quinquennia proxima lustris' III 5, 92 certum esse puto, cum propterea quod haec Augustalia uocabantur ἰσολύμπια ob parem cum Olympiis honorem[29]) et de nobilissimis ludis eum loqui manifestum est, tum quod reuera iisdem annis hi ludi celebrabantur atque Actiaci quos Octauianus a. a. u. c. 723 Nicopoli instituit, quod indicat Statius

II 2, 8. 9 huc me post patrii laetum quinquennia lustri
cum stadio iam pigra quies canusque sederet
puluis, ad Ambracias conuersa gymnade frondes sq.

28) cf. C. I. G. 5804 5805 cum Franzii commentario.
29) C. I. G. 5805 Strabo V 246.

Ceterum quando haec uictoria sit reportata nescimus, id tantum constare uidetur, aut anno 78 aut antea eam reportatam esse, nam anno 82 i. e. ea quae sequitur Italide patrem Statium iam mortuum fuisse uidimus.

Ter deinde uicit in quinquatruis Mineruae quotannis in Albano Domitiani celebratis canens 'modo Germanas acies modo Daca proelia' (IV 2, 66), partim igitur post annum 84, quo de Cattis triumphatum est, partim post a. 86, quo Dacicum bellum incepit, hae uictoriae adeptae esse possunt. Atque unam certe iam adeptus erat, cum in agone Capitolino frustra de corona certaret, nam quod queritur

heu quod me mixta quercus non pressit oliua

non poterat, nisi oliua iam antea coronatus erat[30]). Sed in quonam trium qui Domitiano imperante celebrati sunt agonum Capitolinorum uicerit, plane ignoramus: Friedlaender sibi elegit annum 90, Imhofius annum 94, ego, si quid sentiam dicere licet, anno 86 eum uicisse existimo, neque meam causam horum uirorum doctorum inferiorem habeo. Friedlaenderi argumentum hoc est (p. 16): Statii silu. lib. III editus est a. 94 exeunte, iam in III 5 de clade sua loquitur poeta, igitur a. 90 uictus est; sed primum non demonstrauit, reuera ineunte anno 94 (itaque ante huius anni agonem) librum tertium esse editum neque demonstrare potest, tum tota argumentatio uitiosa est. Imhofii sententia nititur iis quae de carmine IV 2 et III 5 dixit[31]) quae falsa esse existimo. Mihi cum reputarem, quantam famam Statius anno 86, cum primus agon

[30]) Perperam haec uerba interpretantur Dodwellus et Friedlaender (in Marquardtii enchirid. IV 483, de temp. lib. Mart. p. 12) qui putant coronam in agone Capitolino datam ex foliis querneis et oleagineis mixtam fuisse; Martialis ep. IX 23 IV 1 IV 54 nullum dubium relinquunt quin ex sola quercu constiterint 'serta aetherii patris' et oliua aurea praemium fuerit in agone Albano.

[31]) cf. supra p. 17. 18.

Capitolinus celebraretur, sibi iam parauerit et recitationibus Thebaidis quandoquidem 'fregit subsellia uersu' et uictoriis Neapoli et in Albano reportatis, ueri admodum simile uidebatur, tum statim eum de palma certasse, et uictum postea non iam ad illam laudem aspirasse, sed fortasse iam sum culpandus quod in re tam incerta non tacui.

Diem supremum Statium obiisse sub finem imperii Domitiani mihi persuasum est. In nullo enim carmine posterioris temporis uestigia occurrunt, et ipsa quinti libri condicio demonstrat, poetam non multum post quarti editionem mortuum esse. Imhofius quidem pollicetur, se probaturum esse poetam diutius uixisse, quam uulgo credatur, sed uereor ut fidem exsoluere possit.

II.

Quod Angelus Politianus fortuna et iudicio adiutus perspexit, omnes qui extent codices Statii siluarum ex uno eodemque libro originem traxisse, iam cum plurimi inter se conlati sint omnesque et in grauioribus corruptelis et in hiatibus conspirare constet, nemo opinor erit quin concedat. Quare quo magis dolendum est, archetypum illud exemplar a Poggio inuentum temporis iniuria nobis ereptum esse, eo magis id amplectamur oportet, quo illa iactura aliquatenus certe compensatur, conlationem dico illius codicis cum editione principe a Politiano confectam. De qua cum Bandinius in catalogo codd. Latin. bibl. Mediceae Laurent. II p. 98 exposuisset, eorum qui in Statii siluis emaculandis operam conlocant, animos ad eam conuertit Handius in praefatione ed. Siluar. p. XXI. Atque profecto magni eam esse aestimandam neminem fugere potuit, qui quantopere Politianus inter philologos eius aetatis emineat perpenderit. Ille enim primus fere libros manuscriptos

ut philologum decet obseruabat et expendebat, et maxime abhorrebat ab illa interpolandi libidine, quam tum uulgo emendationem putabant. Quod tam ex Miscellaneis eius discimus, quam ex subscriptionibus librorum nonnullorum, quos aut ipse aut familiares eius iussu cum antiquis codicibus contulerunt. Velut in fine editionis principis Catonis et Varronis de re rustica librorum haec adscripsit: 'Contuli ego Ang. Politianus Catonis hos ac Varronis rerum rusticarum libellos cum uetustissimo codice ex Diui Marci Florentina bibliotheca sic ut ne ea quidem non adscriberem, si qua deprauatiora uiderentur. Hoc enim nobis emendandi nouos codices institutum placuit, ne quid ex nostro temere adiceremus, neu quid omitteremus, quod in antiquioribus exemplaribus inuenissemus. Quod si hoc priores librarii institutum probassent, non tantum profecto negotii laborisque posteris reliquissent. Sicubi ergo nostrum adhibuimus iudicium, relictis tamen antiquae lectionis uestigiis aliquibus suum cuique liberum relinquimus.'[32]) Henricus quidem Keilius non semper in hac conlatione Politianum ea quae pollicitus esset praestitisse, sed haud raro magna cum neglegentia uersatum esse putat. Sed cum non ipsius Politiani autographo usus sit, sed apographo tantum notarum a Brenkmanno confecto, non satis certum est, in utrum culpa sit transferenda, et multa quidem eorum quae Keilius enumerat uitia a Brenkmanno esse commissa mihi persuasum est. Aliam subscriptionem Mehus in praefatione ad epist. Ambrosii Trauersarii p. XLIV sq. adfert. Petro Matthaeo Uberto familiari Politianus Celsi codicem cum antiquo quodam conferendum mandauerat, in cuius fine ille addidit: '. . . . ceterum antiquus is liber cum quo hunc Politiani contuli emendatus et ipse fuerat

32) Bandini ragionamento istorico sopra la collazione delle fiorentine pandette fatta da Angelo Poliziano p. 67 H. Keil obseruat. criticae in Cat. & Varr. Halle 1849 p. 4.

aut certe collatus cum codice altero uetustissimo . . . . ego itaque ex praescripto Politiani hoc obseruaui, ut quidquid erat nouae emendationis ex antiquo tamen ut apparet codice, subdita uirgula notarem, quasique plane ad exemplar quod uetus habebam redigerem, ne mutatis quidem quae liquido falsa apparebant, ut liberum Politiano iudicium relinquerem.'

Sperari igitur debebat, haud spernendum auxilium ad crisin Statianam adlaturas esse has Politiani notas, dolebantque uiri docti sepultas eas iacere[33]). Atquin haec spes inanis fuisse uidebatur cum Imhofius, uir de Statio optime meritus, postquam librum quo usus est Politianus excutiendum curauit 'centum tantum esse locos in quibus manifestam deprehenderit Poggii (?) manum' contendisset, 'neque feliciorem multo se fore, quicunque postea librum illum sit peruestigaturus', pro certo adfirmasset is cui Imhofius hoc iniunxerat munus. Attamen nimis confidenter ille locutus est, multo enim melius res cessit uiris doctis Adolpho Kiessling et Ulrico Koehler, qui in Hauptii gratiam summa cum diligentia omnes Politiani notas exscripserunt. Hi quoque quam difficilis res fuerit queruntur cum propter ipsius libri condicionem, tum propter solem aestus causa uelis exclusum, atque fore pollicentur, ut siquis hieme codicem inspicere uelit, nonnulla addere possit. Sed plus mille ducentis locis Politiani manum deprehenderunt et eius additamenta exscripserunt, quae ab aliorum manu profecta erant aut omiserunt aut nota insigniuerunt. Quam conlationem cum liberaliter Hauptius mihi permisisset, equidem id egi ut primum quaererem, quae intercederet necessitudo inter Poggianum codicem deperditum et eum quem integerrimum eorum, qui ad nostram aetatem peruenerunt, esse demonstrauit Imhofius, Rhedigeranum; deinde quem

33) O. Mueller quaestiones Statianae p. 4.

fructum ad emendanda haec carmina ex his Politiani notis percipere possemus. Sed priusquam ad ipsam quaestionem transeo de Politiani conlatione pauca sunt dicenda. Ipse Politianus ut alibi ita in hoc quoque libro summa cum diligentia et fide hoc conferendi munere se functum esse asseuerat. Scribit enim in fine codicis: 'quare cautio mihi fuit, ne quid in corrigendo hoc nostro ab illo mutarem, ne nemia ut adsolet diligentia aut mihi aut ceteris studiosis noceret. Quem si modum tenerent ceteri librorum emendatores tenuissentque priores, minus multo laboris in hac re quam nunc habemus haberemus. Vale qui legis et quod sedulo fecimus quaeso boni consule.' Quam enim aliam dicit nimiam diligentiam quam quae propria inuenta intermiscendo quia nimis uult agere, nihil agit? Quamquam ne Politiano quidem omnia neglegere in animo erat, quae aut ipse aut alii ad emendanda poetae uerba inuenerant, sed id curauit, ut quiuis statim intellegeret, quid coniectura ortum, quae ueteris codicis lectio esset. Eis enim, quae propria Marte tentauit, addidit litteras c^{e} aut 'ego c^{e}' quadragies fere, etiam in minimis rebus, Domitii Calderini inuentis quae saepissime adfert adscripsit 'Do'. Semel cum cui deberetur emendatio nesciret, adiecto eo quod est quidam hoc significauit. Neque id egisse eum ut quam emendatissimum poetam hoc codice adiutus restitueret, sed ut, cum quanti sit pretii ille cognouisset, quam fidissimam eius imaginem repraesentaret, docent saepissime adscriptae lectiones aperte corruptae, uel si, qua usus est, editio Veneta recte emendata poetae uerba exhibebat. Cuius rei nonnulla adferam exempla: I 3, 71 nocte sub arcana (arcano) I 4, 11 togatae (rogatae) II 1, 48 doleres (dolores) II 6, 56 sinit (siuit) II 6, 105 amorem (amori) III 1, 69 grauati (grauatis) III 5, 46 iliacas (iliacos) IV 4, 67 paras (pares) IV 5, 17 balant ãt. cod. lauant V 1, 130 siccatam (siccatum).

Neque praetereundum uidetur aliud testimonium fidei et diligentiae Politiani illo tempore in tali re satis mirandae, qui ad carmen septimum libri secundi adscripsit 'inueni hoc genethliacon in libro quodam uetusto in quo erat . . . . (litterae nonnullae euanuerunt) M. Inni Hypsi et contuli . erat in pagina . . . lucani ad Oppiam . signatur littera Δ quod enotabimus.' Itaque enotauit ex. gr. u. 49 reducis Δ, u. 55 ludes Δ, u. 61 proferetur Δ, cum ex Poggiano ita corrigeret u. 49 reduc$\overset{e}{\underset{\cdot}{i}}$s u. 55 laud$\overset{a}{\underset{\cdot}{e}}$s u. 61 pr$\overset{e}{\underset{\cdot}{o}}$feretur. — Quae cum ita sint, credibile non esse existimo eundem hominem, qui scripsit V 3, 98 tenuere c^{e} tenuare, eodem uersu 'qui' mutasse in 'quis' sua coniectura non indicata, aut cum IV 6 90 diligenter notasset 'tirynthia c^{e} tirynthie', egregiam emendationem III 5, 80 'Dionaea columba' non sibi uindicasse, sed tamquam poggiani libri lectionem exhibuisse, nisi in eo inuenisset. Talis profecto inconstantia satis mira esset. Quare etsi tantum octagies fere poggiani codicis disertis uerbis Politianus mentionem fecit, atque id quidem ubi ille aut exquisitam aut aperte corruptam praeberet lectionem, nullus equidem dubito, quin omnia, quae nullo sunt insignita additamento, in eodem uetusto codice inuenerit.

Iam cum codicem nostrorum archetypum, qualem ex Politiani notis restituere licet, cum Rhedigerano comparamus, elucet Imhofii sententiam 'hunc ex illo depictum magis esse quam descriptum'[34]) stare nullo modo posse. Seruauit enim, ut primo loco ea quae prorsus certa sunt respiciam, nempe octoginta illas lectiones quibus Politianus uetusti libri notam adscripsit, Rhedigeranus quinquies tantum et quinquagies genuinum. Nonnulla proferam exempla, quae non meros librarii errores sed interpolationem prodere mihi uidentur.[35])

---

[34]) de Statii siluarum condicione critica Halis 1859 p. 39. 40.

[35]) Signabo littera A archetypum, a editionem principem, R. Rhedigeranum.

II 3, 3 A uadis R nodis (a)
3, 10 A haec R et (a)
III 2, 56 A saeuus et R saeuus ubi
IV praef. 4 A se quam quod quarta R nisi q. q.
3. 159 A abnues R anuues
V 1, 82 A rotage R rogatae (a)
1, 92 A ne illaceras R iam lassas
II 1, 118 A init R inter
V 5, 68 A simium R summum (a)
2, 153 A subibis R sub illis (a)

Sescenties autem Rhedigeranus conspirat cum editione principe ubi Politianus aliam exhibet lectionem, meliorem saepe nonnunquam peiorem, haud dubie, ut uidimus, ex Poggii libro petitam etsi eius mentionem non facit. Quarum huc perscribam quae uerae mihi uidentur necdum uulgo leguntur:

I 1, 21 produxi et saeuos II 6, 75 ac
II 6, 98 carpit
III 3, 47 famulatur
III 4, 47 ueterisque IV 2, 2 Aenean 4, 22 ingeniine
IV 6, 57 at haec V 2, 8 quid
V 2, 142 Caledonios 3, 251 iudex

Apertissima denique interpolatrix manus deprehenditur his locis, ubi coniecturae in Rhedigerano leguntur, quas Politianus aut se ipsum fecisse, aut in Domitii Calderini editione extare testatur, uelut

praef. V u. 11	uisum A	Polit. c. usum,	ita R
V 1, 189	de A	» » da	„
1, 255	coridas A	„ „ heroidas	„
3, 234	urgebant A	„ „ urgebat	„
I 3, 100	doctum A	Domit. dictum	„
II 1, 51	A brachiaque nunquam,	Dom. add. et,	ita R
2, 34	„ iubeas	Do subeas	„

2, 90	A more	Do monte	ita R
4, 3	„ munera	„ murmura	„
4, 15	„ nunquam	„ nusquam	„
III praef. 1	„ feliciter	„ fideliter	„
2, 121	„ ad massilas	„ et in assirias	„
I 2, 42	„ frequentis	„ sequentis	„
2, 236	„ imagine	„ in agmine	„
4, 74	„ permetuit	„ permeruit	„

Quae quidem coniecturae ita fere sunt comparatae, ut quiuis librarius paullo doctior eas facere potuerit, neque demonstrant, Domitii editionem iam prodiisse cum scriberentur, sed tamen id docent, Rhedigeranum minime interpolationibus carere.

Iam quae adhuc disserui, satis docent nec 'uerba archetypi nec litterarum ductus et quaecunque propria ei fuerunt' in Rhedigerano repraesentari, eum uero non ex ipso Poggiano libro descriptum esse, sed unum saltem codicem inter illum et hunc interponendum esse, haec Rhedigerani uitia euincunt:

IV 3, 35 reperit IV 2,51 adiacclinare
V 1, 205 crecte V 2, 114 quia
V 2, 18 trabeque et ramis ac

habes enim in his confusas duas lectiones, alteram quam codex ille e quo Rhedigeranus descriptus est, in linea scriptam exhibebat, alteram, quam aut ipse eius librarius aut corrector aliquis suprascripserat, et orta sunt haec monstra tali modo

re ad c a ac
perit acclinare recte qui trabeque et ramis

neque dissimile est quod legitur III 1, 112 ardeo, ortum enim

r
est ex adeo, cum is qui descripsit, non satis animum aduerteret, quo loco r suprascriptum esset inserendum. Editio princeps omnia haec: uerba ita fere exhibet, ut secundo loco (in linea)

scripsi: perit, aclinare, recte, qui, trabee et remis, adeo, cum Politianus archetypum habuisse testetur repit adclinare sq. Alia uitia in Rhedigerano inueniuntur, quae quasi medium tenent gradum inter librum Poggianum et editionem principem, uelut

I 1, 20	A raptus	R raptos	a rapto
III 3, 191	„ lidi	„ licii	„ lici
IV praf. 32	„ pilaris	„ palaris	„ phalaris
V 1, 224	„ amnis	„ annus	„ annos
2, 7	„ querar	„ quear	„ queat
3, 83	„ adhibebo	„ adhibeto	„ adhibete
3, 230	„ centauros	„ centaurus	„ centaurusque
5, 83	„ destra	„ uestra	„ nostra


Dubium igitur non relinquitur, quin codices e quibus editio princeps expressa est et Rhedigeranus ex communi quodam fonte, qui non erat ipsum archetypum, fluxerint. Ad hunc autem ut referamus, quae in R leguntur interpolata, suadet ignorantia eius qui R scripsit, cui fortasse debemus quae leguntur II 2, 133. 134 erit — diripient, et similia, non uero emendationes quales sunt multae Domitii et Politiani, quae tamen in eo extant. Quin etiam hoc fortasse dicere licet, cum illae emendationes non transierint in codices, e quibus Veneta est expressa, neque uero a librario qui R scripsit profectae esse possint, Rhedigeranum non statim ex codice X descriptum esse. Ceterum alio quoque documento mihi persuasum est intercidisse aut alicubi latere codicem ex Poggiano descriptum, e quo omnes nostri manauerint. Mirum enim esset admodum, uel potius plane incredibile, uitium quale est III 5, 80 'Dioneae columbae' quod in omnibus nostris libris legitur[36]), in Poggiano non extabat, a diuersis librariis esse commis-

36) cf. Imhof eclog. ad uxorem adnotat. critic.

sum.[37]) Dolui quod non eorum quoque codicum, quibus Imhofius secundum Rhedigeranum maximam tribuit auctoritatem, conlationes mihi suppetebant, sed quoniam Imhofio teste rarius quam R genuina poetae uerba seruauerunt, illos quoque non ex ipso A, sed ex eius apographo quodam propagatos esse existimo.

Quae cum ita sint, futuro siluarum editori id iniungitur munus, ut Politiani notis fundamento uerae lectionis restituendae utatur iisque summam habeat fidem. Sed id non contenderim, ubi Politianus nihil adscripserit, editionem principem instar uetusti codicis habendam esse, nam cum propter infelicem illum hominem, qui in Politiani notas spongia saeuiens haud paucas nobis eripuit, tum propter imperitum bibliopegum, qui in religando codice nonnullas notas marginales abscidit, denique propterea, quod facilius neglegi quaedam potuerunt, quam perperam mutari, haud ita magnum pretium illi concesserim. Itaque alia quidem subsidia conquirenda sunt, sed ut mihi uidetur supersedere possumus farragine uariarum lectionum ex omnibus qui extant apographis colligenda, quae obruit lectoris iudicium, non adiuuat.[38]) Imhofius demonstrauit, proxime ab archetypo abesse Rhedigeranum et Vindebonensem siue Budensem, horum igitur opem ad reconcinnandam archetypi memoriam petemus, horum testimonia integra exhibebimus. Reliqui libri et uetustae editiones tum tantum nominanda erunt, ubi coniecturis de sanandis poetae uerbis bene merita sunt.

37) Hanc igitur codicis R originem esse puto



38) Id fecit Imhofius cum quintum tertii libri carmen ederet, neque tamen sibi constitit, nam uiles errores editionis principis saepissime adtulit, terdeciens neglexit; item Rhedigerani uitia orthographica partim adscripta partim omissa sunt.

Quod nisi fallor etiam in ea cadit, quae in margine codicis Parisiensis leguntur. Imhofius quidem summam his lectionibus auctoritatem tribuit, Hasio praeeunte, et 'ex uetusto aliquo et praestanti exemplari' eas haustas esse existimat. Sed nisi sumere uelimus, uetustum illud exemplar ad aliam familiam pertinuisse atque Poggianum — quod plane non est credibile, tum enim plura emendasset et praesertim hiantem orationem saepius explenisset librarius eo usus — haec sententia stare non potest. Quamquam igitur non negauerim, hunc correctorem non solum ingenio, sed etiam nonnunquam libro aliquo manu scripto usum esse (u. e. praef. III foeliciter), omnia tamen, quae contra Poggiani auctoritatem in margine Parisiensis libri leguntur, e coniectura orta esse existimo. Nobis Politiani diligentia adiutis contendere licet nostrorum codicum archetypum habuisse

III	2, 129	at	non	ac	ut	P^m
IV	3, 159	abnues	„	adnues	„	
V	praef.	uisum	„	usum	„	et R
II	3, 55	seruatur	„	scrutatur	„	»
	6, 92	uisa	„	missa	„	
III	3, 110	stagnata	„	signata	„	
IV	2, 25	aetheros	„	aetheris	„	
V	3, 232	qua	„	cum	„	
V	3, 195	erinis	„	enio	„	
II	2, 147	praecordia	„	placidissima	„	
II	6, 41	toruoque	„	toruaque	„	
III	4, 81	crinis	„	cyrrus	„	
III	5, 87	strictae in iurgia leges non scriptae i. i. l.[39])				

[39]) Ubi plane non intellego cur Imhofius id quod est 'in' ab interpolatore quodam profectum esse censeat, cum etiam in Budense in Urbinate legatur, Rhedigorani contra 'legis' interpolatricem manum prodat.

Denique IV 2, 27 testatur Politianus, in antiquo sic esse: nitet multa, in margine Parisiensis libri adscriptum est 'stat'.

Elegantes quidem saepe sunt coniecturae, sed quibus maiorem auctoritatem quam aliorum uirorum doctorum inuentis concedere non licet, admittantur si necessariae aut ueri sunt similes.

Atque haec quidem de Politiani conlatione in uniuersum, iam ad ea me conuerto, quae inde ad emendanda singula uerba discimus. Non raro contra Rhedigerani auctoritatem uera lectio adhuc restituenda est. Ita I 1, 10 liber poggianus habebat 'Ide' qua forma uti solet Statius, cf. Ach. II 198 253 Theb. IV 104 785. Neque tam multum a uero aberrauerat R in quo legitur Iden, sed tamen Queckius cum saeculi quinti decimi librariis errare maluit, quam cum Handio poetae suum restituere. Recte graecam formam retinuit R IV 4, 105 Priamiden V 5, 38 Aeaciden III 1, 182 nemee V 1, 60 babylonos, oblitterauit IV 2, 2 ubi poeta scripsit Aenean, ut IV 2, 25 aetheros et II 7, 45 Thybrin siue Thymbrin. Etiam IV 5, 8 nisi fallor poeta graecanica usus est terminatione, ubi traditum est (A. R) iam zephyros aquilone fractos. Quod qui in margine codicis Parisiensis ita emendauit 'iam zephyris aquilone fracto' quamquam Otto Mueller ei adstipulatur, mihi non persuadet, ita Statium scripsisse. Nam cum parum ueri est similis haec mutatio, tum displicet repetitum 'iam' si non noui aliquid adfertur, sed causa tantum praecedentis additur. Reponendum esse censeo

iam zephyros, aquilone fracto

et subintellegendum uerbum substantiuum, plane ut in iis quae statim sequuntur

nunc uolucrum noui
questus inexpertumque carmen.

Iam patet, quam fuerit obuium ut librarius qui scripserat zephyros, ad hanc uocem adcomodaret id quod est fracto.

Non recte editores formam quae est Ulixis in Statio ubique extirpauerunt, A eam habuisse II 7, 49 Politiani testimonio constat, in R et hoc loco et II 6, 57 legitur, ut Ulixem IV 2, 4.

Praef. libr. I u. 15 A praebet in meo ne, R mimeone, apparet Statium scripsisse timeo ne. I 2, 89 ex corruptela Rhedigerani 'praeulsi' Passouius exquisitam lectionem elicere sibi uisus est 'praefulsi', sed frustra, in archetypo erat praeluxi, unde primum factum est praelusi (ita a) obuia permutatione litterarum x et s, in R deinde transpositis litteris praeulsi.

I 4, 13 cui uersui antea desperato Imhofius lucem adtulit, tamen non uerum uidisse sed uiam tantum monstrasse eum existimo. Nam primum si poeta scripsisset: uos aeque ex ordine colles confremite, intellegi quidem potest, quo modo librarius scripserit noseque (ut in R legitur) sed quid eum adduxerit ut etiam sequentia uerba mutaret, qua re nihil sensum adiuuabat, non uideo. Tum haud facile aliorum librorum lectiones nosceque nocteque nosteque explicantur. Iam accedit archetypi auctoritas, in quo Politiano teste erat 'nosterque', ut contendam Statium scripsisse

uos terque ex ordine colles
confremite.

Cum 'uos terque' in unam uocem coaluissent, uerba 'colles confremite' ita ut factum est antecedentibus adcommodata sunt. Ceterum conferendum est Stat. Achill. I 452. Silu. II 3, 3 in R legitur incuruata nodis, neque facile uerum inuentum esse reor, nisi nos docuisset Politianus in A fuisse incuruata uadis. Quod a Statio profectum esse, neque opus esse Politiani coniectura quam adscripsit 'accuruata' mihi probabile uidetur.

II 6, 75	scribendem est ex A		addidit ac solito
I 6, 43	„	„	uescimur

III 1, 72	scribendum est	ex A	nubibus ac tenuis
III 2, 56	„	„	saeuus et e puppi
III 5, 21	„	„	caput inpenetrabile
III 5, 72	„	„	uesuuinus
IV 3, 159	„	„	abnuesque, quod optime a Gronouio est defensum
V 2, 68	„	„	corrupit R perperum corripuit ut I 4, 110 rapuerunt pro ruperunt
V 2, 141	„	„	accipiet
V 3, 277	„		Ennaea, id enim optime elicuit Gronouius e corrupto aetnea (A uett. edd.), interpolatorem secutus est Queckius cum Rhedigerano 'aeterna' reponens.
V 3, 280	centauros Scyllaeque greges.		

Nonnunquam igitur Politiani conlatione Rhedigerani libri auctoritas tollitur, multo tamen saepius felicissime confirmatur. Ita quod ad uerborum conlocationem adtinet in omnes fere editiones ex editione principe manauerunt haec: I 2, 60 repserunt depresso praef. lib. II u. 21 puero amisso II 7, 90 festa longa praef. lib. III u. 2 probandam diu III 2, 37 quotiens patriis IV 6, 65 uictor semper V 1, 183 te pridem, quae omnia ita correxit Politianus ut in R leguntur, nisi quod in R II 7, uersus 90 ita corruptus est 'o nunquam data fata summis' cum in A esset 'o nunquam data longa festa summis.'

Deinde haec adnotaui (omisi si qua iam Imhofius ex solo R restituere iussit)

I 2, 84 fodi 103 finierat
II 1, 64 atque ipsos reuocabat ad oscula postes i. e. ut uidit Politianus adque ipsos sq.
II 6, 30 canentem (cf. Ach. I 194)
praefat. III u. 5 expaueris

III 1, 58 terget (cf. IV 3, 87)
99 tibi
151 addisces
2, 194 hoc
200 lucida
IV 2, 30 supra 27 nitet 34 laborat
3, 136 flammigeros (ita R etiam I 2, 119)
3, 150 adisse
4, 103 cedet 6, 81 comes ire
9, 17 sequenti 47 mihi
V 1, 45 nuptuque 102 ex celsis
1, 141 proturbat 236 tunc 258 ibi
2, 27 sibi (curia) 3,77 supremo
3, 275 fas mihi sic 282 supremus
4, 19 leuiter 5, 58 rependis Polit. c. reprendis

II 7 u. 107 sq. ubi poeta Lucanum aduocat, unum uitium sublatum est nuper egregia Hauptii emendatione scribentis u. 117 noscis pro eo quod legebatur nescis, restituendum adhuc est poetae suum in u. 111 112. Nam quod ibi legitur

seu pacis meritum nemus reclusae

aut seu pacis merito nemus reclusum
felix elysiis tenes in oris

codicum auctoritate caret. In Rhedigerano enim est[40]) sicut Politiano teste in archetypo legebatur

seu pacis merito nemus reclusi
felix elysii (R helisii A elisii) tenes in oris.

Etiam in titulis singularum eclogarum Rhedigeranus plerumque genuina uerba seruauit, in editionibus adhuc immanes illae interpolationes deteriorum librorum feruntur. Sed mihi

[40]) Ex Passouii conlatione hoc non apparebat, sed ipse codicem, Mommseno intercedente Berolinum missum, contuli.

non est dubium, quin non ab ipso Statio hi tituli sint profecti. Quid enim sibi uult enumeratio carminum in epistulis, quas Statius singulis libris praefixit, si cuique carmini inscriptum fuit, ad quem et de qua re esset scriptum? Apparet enim, non eam tantum ob causam has praefationes poetam addidisse, ut ueniam sibi peteret si qua minus limata uiderentur, sed praecipue ut indicaret, quae carmina libro continerentur. Itaque praecipue primae quinti libri eclogae titulus ineptus est, cum huic carmini praemissa sit ab ipso poeta epistula qua exponit, quae celebraturus sit. Quomodo igitur opus erat inscriptione: Epicedion in Priscillam Abascanti uxorem[41])? Neque omnino illa aetate titulos ad singula carmina adicere moris erat, posterioris demum aeui grammaticis haec debetur iuuentio. Atque posteriore tempore ortos se esse ipsi docent tituli. Quis enim Domitiano regnante haec scripsisset: XVII consulatus Imp. Aug. Germanici, aut eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum, quis uiuo Vettio Crispino 'Laudes Crispini Vettii Bolani filii'? Quam ridicula deinde: ode lyrica ad Septimium Seuerum, ode lyrica ad Uinium Maximum, hendecasyllabi iocosi ad Plotium Grypum, quae byzantinorum poetarum memoriam adferunt. Alii tituli plane repetunt praefationis uerba, quam uerborum paupertatem, si ipse poeta eos addidisset, sane miremur; certissima recentioris originis indicia in his habes: epicedion in puerum suum, epicedion in patrem suum. Neque emendanda haec sunt sed abicienda.

Iam etsi hodiernam titulorum formam recentem esse demonstraui, tamen non negauerim, ex uetusta traditione titulos manasse, quippe qui suppeditent nomina Melioris (Atedius) Ursi (Flauius) Vindicis (Nouius), cognomen Pollii (Felix), quae

[41]) Ita enim illum qui hanc inscriptionem addidit, scripsisse puto, cum in Poggiano fuerit 'epicedion in Priscillam uxorem' quod magis corrupit Rhedigerani librarius scribens 'epicedion in uxorem suam Priscillam'.

non est cur commenticia habeamus. Inde docemur, grammaticos non multo post Statii mortem, cum de uiris, quibus ille carmina inscripserat, sciri aliquid etiamtum posset, operam in his siluis conlocasse. Video Imhofium[42]) aliter sentire sed unicum eius argumentum nihil ualere existimo. Prouocat enim ad Apollinarem Sidonium, quinti saeculi poetam, quo tempore iam has aut certe aliquas inscriptiones additas fuisse mihi quoque ueri uidetur simile, qui tamen non ita ut nunc legimus titulos prodit, sed ita loquitur, ut quiuis loqui debet, qui breuiter haec carmina indicare uult, dicit: 'balneae Claudii Etrusci, Hercules Surrentinus, Cumae Flauii Sabini, Tibur Vopisci'; immo inde quod suo carmini inscripsit 'Burgus Pontii Leontii' colligere debebat Imhofius in Statio eum legisse Tibur Vopisci (non ut nunc legitur Villa Tiburtina).

Illud autem Imhofium recte contendisse puto, non sollicitanda esse Sidonii uerba 'Cumae Flauii Sabini'. Nam Comae Flauii Earini quod uiri docti Marklando adsentiente reposuerunt, non quadrat ad sententiam Sidonii. De descriptionibus enim loquitur, Statii exemplo carminis, quo ipse uillam amici Burgi sitam descripsit, uerbositatem excusaturus. Neque contendi potest, omnes siluarum eclogas nos possidere, Poggiani enim libri nonnulla ut uidetur folia casu nescio quo interciderant, quod cum Politianus testatur, tum ipsa condicio eius carminis quod ultimo legitur loco demonstrat, fine enim est truncatum et multorum uersuum partes corrosae sunt.

Atque si Georgio Vallae fidem habemus, alius quoque Statii carminis reliquiae ad nostra peruenerunt tempora. Ille enim ad Iuuenalis satir. IV 94 haec adfert: Acilius Glabrionis filius consul sub Domitiano fuit Papinii Statii carmine de bello Germanico, quod Domitianus egit, probatus:

42) ecloga ad uxorem p. 11.

lumina, Nestorei mitis prudentia Crispi
et Fabius Veiento, potentem signat utrumque
purpura, ter memores implerunt nomine fastos
et prope Caesareae confinis Acilius aulae.

Unde haec sumpserit Valla non dicit, sed constat eum usum esse codice quodam, qui plura continebat scholia uetera, quam Pithoeanus et Sangallensis, qui nobis suppetunt. Ex illo quem dicit Probo haec quoque desumpta esse possunt, etsi hoc loco eius mentionem non fecit. Sed non uno nomine suspecti uidentur hi uersus et fuit cum ex ipsius Iuuenalis uerbis concinnatos esse eos pro certo contenderem, conferas modo Iuuenalis: C r i s p i iucunda s e n e c t u s[43]) — mite ingenium et: Nestorei C r i s p i mitis p r u d e n t i a.

Quid enim? Hinc uersus probent Acilium consulem fuisse sub Domitiano? Ne possunt quidem, si uere sunt Statii. Constat enim, Statium Domitiani expeditiones Germanicam et Dacicam in agone Albano celebrasse[44]) ut ipse dicit Silu. IV 2, 64

talis longo post tempore uenit
lux mihi, Troianae qualis sub collibus Albae
cum modo Germanas acies modo Daca sonantem
proelia Palladio tua me manus induit auro.

Nemo autem dubitabit, quin poeta Germanas acies tum cecinerit, cum recens earum esset memoria, iam cum bellum cum Cattis gestum sit usque ad annum 84, et ab anno fere 86 usque ad a. 90 cum Dacis pugnatum sit, c a r m e n d e b e l l o

43) Hanc locutionem Iuuenali ualde adamatam esse constat, statim sequitur: Montani uenter.

44) De his tantum carminibus in Albano recitatis cogitari posse puto, nam unquam poetam epico carmine res a Domitiano gestas seu potius non gestas tractasse aut tractare sibi proposuisse, ut imperatori initio Thebaidis et Achilleidis et Silu. IV 4, 95 pollicetur, mihi incredibile uidetur.

Germanico uix post annum 86 a Statio componi potuit. M' Acilius Glabrio filius autem consul fuit a. 91, cum M. Ulpio Traiano, unde efficitur ut consulem Glabrionem filium Statius commemorare in eo carmine non potuerit. Hunc Glabrionem cos. a. 91 eius quem Iuuenalis concilio illo ridiculo de rhombo habito interfuisse dicit, filium fuisse inde colligo, quod poeta patrem aequaeuum Crispo septagenario (mortuus enim esse uidetur anno fere 93 octagenarius cf. Quintilian. X 1, 119) dicit et ex Dione LXVII c. 14 ubi falsa protulit Reimarus. In hoc igitur utique errauit scholiasta siue quisquis fuit, Acilius ille si Statii hi uersus sunt pater esse debet, quod inde quoque effici uidetur, quod una cum Crispo et Veientone (ut apud Iuuenalem) inter proceres nominatur. Atque haec quidem de quarto uersu. Alterius initium aperte est corruptum. Veientoni enim non Fabio sed Fabricio nomen fuit. Sed quod Ottoni Iahnio (in Mus. Rhen. VIIII 1854 p. 627) reponendum esse uisum est 'Fabricio', deleto 'et', non uerum existimo, non enim debuit Fabricius Veiento pleno nomine appellari cum Vibius Crispus cognomine solo uocetur. Deinde cum Crispi mitis prudentia esset commemorata etiam Veientoni laudans aliquod epithetum additum esse expectamus. Denique de tribus consulatibus a Crispo et Veientone gestis plane nihil constat. Iuuenalis scholiastam ad IV 81 perperam de C. Passieno Crispo loqui uidit Lipsius, de Vibio Crispo id tantum scimus, ante annum 67 [quo curator aquarum factus est] eum consulem fuisse, de consulatu secundo et tertio nihil traditum est. Neque aliter in Fabricio res se habet, quin etiam uerba Victoris quem dicunt 'consulari honore functus erat apud Domitianum' (epit. XII) demonstrare uidentur, ei non plus semel consulatum obtigisse. Quae omnia hos uersus ualde suspectos mihi uidentur reddere. Sed unde uenerint, utrum ipse Valla eos finxerit, atque mira quidem astutia tales

quales hodie extant initio truncatos, an aliunde eos sumpserit, quis hoc diiudicet?

Sed ut in uiam unde egressus sum redeam nominum eorum, quibus Statius carmina sua dedicauit, nonnulla emendatiora praebet Politiani conlatio plerumque adsentiente Rhedigerano, cum tamen hodie errores editionis principis retineantur. Scribendum est Nouius Vindex, Vinius Maximus, Plotius Grypus[45]), Abascantus (Abascantius in titulis nisi ualde suspectis non legitur). Deinde non satis iusta causa mutasse uidentur uiri docti traditam formam 'Violentilla', nam quam Marklandus adferre studet analogia nulla est; iam cum nusquam haec uox in inscriptionibus inueniatur acquiescendum esse existimo in antiqui codicis lectione.

Ex iis quae exposui satis adparet, in paruis rebus nonnunquam nostros codices ab archetypi scriptura aberrasse, grauiora autem menda, quibus Statii siluae sunt inquinatae, iam in illo fuisse. Quae praeterea de archetypo scimus, admodum pauca sunt. In Gallia a Poggio repertum esse uulgo credunt, sed ne hoc quidem mihi satis constat. Quamquam negari non potest, Poggium etiam in Gallia fuisse ibique libros conquisiuisse; Nonium enim Marcellum Parisiis inuenit et inde ad Nicolaum Nicolum transmisit, ut ex epistula eius inedita discimus, de qua loquitur Tonelli, qui librum quem Shepherd de Poggii uita anglice conscripsit, in Italorum linguam translatam edidit (I 96), et Mehus in praef. editionis epist. Ambrosii Trauersarii p. XXXVII. Et ipse Poggius in oratione quam in funere Nicolai Nicoli habuit commemorat libros 'quos e Germanorum Gallorumque ergastulis' sua diligentia eripuerit. Sed Politia-

---

[45]) Codd. Gripus ut Mediceus in Tac. h. III 52 IV 39, ueram formam docemur tabula fratrum Arual. apud Henzenum relazion. p. 43 u. 65, quamquam eundem esse consulem anni 88 et hunc, cui Statius IV 9 scripsit, non admodum mihi uidetur probabile.

nus ipse non adcurate sciuisse uidetur, unde hic Statii codex in Poggii manus uenerit, cum enim in fine conlationis suae dicat: 'incidi in exemplar Statii siluarum quod ex Gallia Poggius Gallica scriptum manu in Italiam adtulerat', ad uersum illum qui in carmine I 4 post octagesimum primum perperam insertus est, adscripsit: hic uersus deest in libro uetustissimo Poggi qui e Germania in Italiam relatus est.

Neque quod Imhofius adfert argumentum: nostrorum codicum consensum in scribendis uocabulis 'plantus cintus' docere, non in Germania archetypum scriptum fuisse, ullam uim habere existimo, haec uitia a librariis florentinis qui Poggii codicem describebant profecta esse possunt, inueniuntur enim in aliis quoque carminibus quae in codice Rhedigerano ab eadem scripta manu extant, et haud raro Politianus hoc uitium correxit.

Sed utut haec res se habet, multa extant uestigia archetypum satis uetustum fuisse, etsi haud pauca, quae ad orthographiam spectant, in nostris codicibus oblitterata sunt, neque Politianus id egit, ut in his minutiis quoque semper ueterem manum reduceret; cuius modi nonnulla adtulit Imhofius, addam haec: equs loqutus adloqutio secuntur cohercet prosequtus harena cena erilis. Accusatiui pluralis in is exeuntis exempla plura in Rhedigerano conseruata sunt quam ex Passouii conlatione apparebat, et tamen nonnunquam es occurrit, ubi Politianus ueterem formam in archetypo fuisse testatur. Constanter fere legitur forma contracta in genetiuo singularis nominum propriorum in ius exeuntium.[46]

Quo scripturae genere fuerit exaratus, uix reperiri posse puto, nam quod interdum inter se commutantur g et c (orico, uincere i. e. iungere, ligarem pro dicarem), i et t et

[46]) cf. Mommsen Hermae uol. I p. 461.

— de Poggiano codice certum iudicium non permittit. Sed illud non intellego, quo modo Imhofius, postquam ipse codicem inspexit, adfirmet[47]) archetypum saeculo nono uel decimo scriptum esse ex considerata Rhedigerani in scripturae genere imitatione suspicari posse. Continet enim iste codex praeter Statii siluas Vergilii catalecta et multa inferioris latinitatis carmina, omnia eadem scripta litterarum forma, ita ut, nisi haec quoque ex noni uel decimi saeculi codice descripta esse contendere uelit concedat oportet, nihil hinc collegi posse.[48]) Sed cum Otto Mueller[49]) nos docuerit, Caroli Magni tempore uiris doctis Statii Siluas notas fuisse, ueri simile est, illud saeculum ut alios scriptores ita etiam hanc Statianae poesis partem nobis conseruasse, et Poggianum librum aut ipsum illo tempore scriptum esse aut certe ex illius aetatis codice manasse.

[47]) Ecloga ad uxor. p. 4.

[48]) Ceterum non noni uel decimi sed duodecimi uel tertii decimi saeculi scripturae formam edoctus erat is qui codicem R scripsit, admiscuit autem saepissime saeculi XV formas (uelut constanter fere littera a ita est picta ut nos hodie scribimus).

[49]) Mus. Rhen. XVIII 190.

HERMANNUS NOHL DE UITA SUA.

Natus sum Strombachii, in paruo uico prope Coloniam Agrippinensem sito d. XVII m. Ian. a. h. s. L., patre Hermanno Adolfo, matre Carolina e gente Bickenbachiana, quibus superstitibus laetor. Fidem profiteor euangelicam. Puerulo me admodum parentes sedem transtulerunt in urbem Mülheim ad Rhenum illam sitam. Patris ibi carissimi primum disciplina usus sum, deinde per biennium progymnasii Mulhemiensis, per quadriennium gymnasii Coloniensis eius quod uocatur 'an Marcellen' fui discipulus. Aestate a. h. s. LXVII maturitatis testimonio instructus uniuersitatem Fridericiam Guilelmiam Rhe-

nanam adii, ubi per bis sex menses scholis interfui O. Iahnii, Kleinii, L. Muelleri, Schaeferi, Springeri, Useneri. Deinde ad hanc almam matrem Berolinensem commigraui, et per bos quinquiens sex menses audiui uiros clarissimos: Bonitzium, Droysenum, Harmsium, Hauptium, Huebnerum, Iaffeium, Kirchhoffium, Mommsenum, Trendelenburgium. Seminarii philologici per quater sex menses fui sodalis ordinarius. praeterea Kirchhoffius ut Graecis, Mommsenus ut Romanis exercitationibus adessem benigne permiserunt. Quibus uiris omnibus debitas hoc loco ago gratias.

SENTENTIAE CONTROUERSAE.

I. Horatii satir. II, 1 ante annum 719 (Frankius 724), II, 6 intra annos 719 et 721 (Frankius post 723) scripta est.

II. Statius siluar. IV praef. u. 13 scripsit: sed mihi citra (contra codd.) hoc quoque ius artissime carum.

III. In eiusdem Achill. I, 394 legendum esse existimo: hic lanam tractare (famam narrare codd.) doce.

IV. Apud Plutarchum in uit. Galbae c. XVIII 6 legitur: ὡς, εἰ καὶ μὴ τοσοῦτον, ἀλλ' ὅσον Νέρων ἔδωκεν, ἀποδώσοντος; post τοσοῦτον nonnulla uocabula interciderunt.

V. Perperam ii, qui Herodotum interpretantur, non ita ut uulgo loquebantur eum scripsisse, sed poetica uocabula orationi admiscuisse statuunt.